

LVNÆ DIE 13 M. DECEMBRIS A. 2004

Idibus Decembribus a. MMIV

I 2 3

# M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**  
AUSPICIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE SODALITATIS MELISSAE  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>  
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4



## EVROPA ET AMERICA

Hic est titulus symbolæ, quam conscripsit Srdja Trifkovic in fasciculo mensis Maii periodici Americani c.t. « Chronicles ». In fronte huius fasciculi, sub periodici nomine, legitur « Cultural suicide ». Etiam sub titulo « Europa et America » inscriptum est « Identity of Decrepitude ». Auctor consociat germanos Europæos Europæ et Americæ, qui, ut fratres gemini, ad eundem cultum civilem pertinent atque eodem morbo affecti sunt, quin etiam sunt morituri. In Europa enim numerus germanorum Europæorum decrescit atque in America gentes Europææ stirpis iam non supplentur ; res non desinit deterior fieri, cum magis magisque placeat vivendi modus « child free » dictus, i.e. sine liberis. ¶ Auctor de causis gentium Europæarum morbi sententiam suam patefacit. Prima causa, ait, certe est quod homines religioni iam non confidunt. Sed multas causas secundarias citat. Amittitur populi cohærentia, quæ nitebatur in cultu civili a maioribus tradito ; hic cultus despicitur a regentibus, qui diversitati gentium favent et « multiculturalismum » imponunt. Nostra historia iam non docetur, ne offendantur gentes aliorum cultuum. Gentes Tertii Mundi insidiosè immigrant. Denique ii, qui his mutationibus obstant, denuntiantur ut satanæ canes atque eorum oppositio crimen habetur. ¶ Dechristianizatio, ait, quæ pæne perfecta erat post primum bellum mundanum, certe est summa causa. Duæ Americanorum partes (2/3) se christianos profitentur, sed multi adhærent incredibilibus sectis, quæ nomine tantum sunt christianæ. In Magna Britannia, Francogallia, Belgica et Germania plures homines meschitas frequentant quam ecclesias. Numerus Americanorum sine ulla religione intra novissimos decem annos duplicatus est, ita ut hodie triginta miliones numerentur, qui auctoritate prævalent in universitatibus, in communicationis intermediis et apud industriæ magnates, negotiatores, artifices et politicos. ¶ Dechristianizatio, inquit, gignit populum infelicem, neuroticum et nocivis rebus addictum. Non mirum quod plures in dies iuvenes Europæi se ad islamismum convertunt, se aggregantes in turbam extraneam inimicamque suæ patriæ ; a parentibus alieni facti sunt, suum proprium cultum civilem ignorant, eos pudet patriæ historiæ, quare ad mentis alienationem labuntur, qua ducitur ad insaniam, ad psychotropicorum usum, quin etiam ad voluntariam mortem. ¶ In campo politico auctor novos motus discernit, qui, quamquam inter se discrepantes videntur, eosdem letiferos effectus habent. Motus Europæus, qui dicitur « multilateralismum », operam dat ad communitatem internationalem creandam, ab Organizatione Nationum Unitarum

moderatam et ubi ius dicatur ab Aula Internationali Iustitiæ. Regimen supranationale, quod in Europa instituitur, solum est status fiduciaris ; hac de causa in Europæ constitutione nulla mentio facta est de nostro tradito cultu civili. ¶ In America Democratæ et Republicanæ utrique cogitant de sua benevola dominatione in toto orbe terrarum instituenda. In hoc consilio benevolæ dominationis Americanæ, æque ac in Europæorum proposito Universi Socio-democratici, despiciuntur traditæ societates humanæ earumque cultus. Nam « imperium globale » oriri non potest, nisi eradicentur traditæ structuræ sociales, quæ consilio obstant. Ad hanc mutationem perficiendam, maxime iuvat immigratio Tertii Mundi. ¶ Imprimis admiror dicendi libertatem in America ; apud nos propter nonnulla huius symbolæ verba res in iudicium adducetur. Estne dechristianizatio, re vera, summa causa omnium malorum Europæarum societatum ? Imperium Romanum maxime floruit antequam christianismus aliqui momenti fuit. Ultimis imperii sæculis christianismus potius debilitans dissensiones attulit, quam vires. Medio Ævo christianismus structuræ administrativas Romanas et linguam Latinam longe lateque ultra fines imperii certe propagavit, sed scientiæ naturales despiciebantur et regna in Occidente erant impotentia, præter brevem surrectionem tempore Caroli Magni factam. Cruciatæ expeditiones paulisper superaverunt hostes orientales, sed solum quia cruce signati advenerunt tempore quo corruit Arabum imperium. ¶ Ineunte duodevicesimo sæculo plures homines cœperunt se ab omnipotentia doctrinali Ecclesiæ Romanæ liberare atque « veritatem » exquirere voluerunt naturam modo experimentaliter investigando. Inde scientiæ naturales floruerunt atque nova miraque instrumenta creata sunt, quibus potentia nationum Europæarum ita crevit, ut, exeunte undevicesimo sæculo, nullum hostem sibi parem in toto orbe terrarum haberent, præter se ipsas. ¶ Quod homines religioni iam non confidunt ergo non videtur esse causa Europæorum hodierni discriminis. Spectemus Arabes aliosque mahumetanos, quorum theocratia adhuc vigens tot mala et miserias affert, ut multi eorum in regiones Europæas emigrare cupiant. ¶ Aliæ, meo sensu, sunt causæ, quarum nonnullas auctor patefacit ; de his fuse tractabitur in proximo Melissa fasciculo. ❧

# DE FRANCISCI PETRARCA VITA ET SCRIPTIS LATINIS

– scripsit *Victorius Ciarrocchi* –

Die 20mo m. Iul. a. 1304 in Tuscæ urbe Arretio natus est Franciscus Petrarca, cui parentes fuerunt Petrus sive Petraccus, Dantis Alagherii amicus Guelforumque factionis 'Albæ' sectator, et Electa Canigiàni. Annum agens octavum una cum patre Avennionem, in Galliæ urbem ubi pontifices id temporis commorabantur, Franciscus se contulit ibique prima elementa didicit. Anno 1320 Bononiam petivit ut iuris legumque studia, in quæ iubente patre incumbere cœperat, tandem perficeret. Die sexto m. Apr. 1327 quadam in ecclesia Avennionensi feminam pulcherrimam vidit, nomine Lauram, eandemque adeo perditæ amare cœpit, quamvis ipsa Hugonis de Sade uxor esset, ut compluribus in carminibus puro sermone Italico exaratis, quorum titulus verus est « Rerum vulgarium fragmenta » (Italice « Canzoniere »), laudibus cumulaverit etiam postquam anno 1348 Laura, pestilentiariorum morbo conflictata, periit. Anno 1341 veluti 'poeta laureatus', quod ab ineunte sæculo quinto non iam acciderat, Petrarca in Capitolio consulatus est. Qui autem vir sero intellexit quam stulta essent et commenticia Nicolai Laurentii (It. : Cola di Rienzo) incepta, quippe quæ e turbidis animi motibus plerumque orirentur. Nam istum Nicolaum et Petrarca ipse quadam in epistula salutaverat ita : « Quid enim in tanta claritate tui nominis, ad tam lætos et tam crebros rerum tuarum nuntios, convenientius diceretur ? Cave, obsecro, speciosissimam famæ tuæ frontem propriis manibus deformare » (Familiarium Epist. L. VII, 7, 1). Arretinus scriptor multa itinera in Italia et peregre fecit, etiam spe allectus aliquot codices inveniendi, quibus antiquorum scriptorum opera continerentur. Nec immerito. Is enim anno 1345 quadam in bibliotheca Veronensi « Ciceronis ad Atticum epistulas » invenit easque lætissimus transcripsit. Franciscum, qui pacis Mediolanenses inter et Venetianos conciliandæ causa anno 1356 Pragam se contulerat, titulo 'comitis palatini' honestavit imperator Carolus IV. Proveciore autem cum esset ætate, vitam Petrarca ab honoribus et pompis remotam in oppidulo c. n. « Arquæ », prope Patavium sito, degere maluit, semper libris legendis et scribendis intentissimus. Usque ad annum quadragesimum – ut ipse fassus est – rebus venereis haud mediocriter indulsit ; tamen sunt qui eum minus dixisse putent, quam revera fecerit. Utut his de rebus (nam suas quisque scit), a duabus feminis, quarum nomina sunt ignota, pater is factus est, nempe Ioannis, qui anno 1361 mortem obiit, et Electæ. Die undevigesimo m. Iul. a. 1374 e vita decessit Petrarca. In huius Itali scriptoris et poetæ sepulcreto olim (utrum etiam nunc, nescio) inscriptio legebatur hæc : « Frigida Francisci lapis hic tegit ossa Petrarçæ./

Suscipe Virgo parens animam. Sate Virgine parce, / Fessaque iam terris cæli requiescat in arce ».  
Accuratissimam de Francisco Petrarca 'biographiam' abhinc quadraginta circiter annos scripsit vir quidam Americanus, nomine Ernestus Hatch Wilkins. Qui liber Italice iterum translatus est (Feltrinelli, Milano, 2003). 'Varia' de Petrarca nuper etiam Henricus Fenzi scripsit (« Saggi petrarcheschi », Cadmo, Firenze, 2003).  
Etsi apud Italos vir ille Arretinus maxime notus et laudatus sit propter ea 366 carmina supra memorata, is tamen maiorem gloriam sibi comparaturam putavit ex operibus Latine exaratis, quæ nec pauca sunt nec, saltem a Latinitatis cultoribus, spernenda neglegendave. Quorum en index haud plenus: 1) « Secretum » sive rectius « De secreto conflictu curarum mearum », est opus tres in libros dispertitum, quo dialogus continetur, qui Franciscum inter et Veritatem et Augustinum habitus esse fingitur. Qui sanctus animus Francisci segnem improbat verbis asperioribus, sicut hinc : « Cogita nunc ex quo mentem tuam pestis illa corripuit quam repente, totus in gemitum versus, eo miseriarum pervenisti ut funesta cum voluptate lacrimis ac suspiriis pasceris ; cum tibi noctes insomnes et pernox in ore dilectæ [Lauræ] nomen » (ex libro tertio). 2) « De vita solitaria » est liber quo genus vivendi laudatur et commendatur a curis vanis remotum, quia in recessu et silentio « habitant otium et libertas ». Nam vita solitaria « læte præsentibus utitur, futura equanimiter expectat, non pendet in crastinum, nihil in posterum diem differt, quod hodie fieri possit aut debeat » (I, 18). 3) Gerardo, fratri natu minori, librum « De otio religioso » inscriptum dicavit Franciscus. Quod otii genus 'litterato otio' est anteponendum. 4) Opus c. n. « De remediis utriusque fortunæ » multos de variis rebus dialogos continet, qui inter Gaudium, Spem, Timorem, Dolorem, Rationem habentur. Spes ex. gr. loquitur ita : « Spero pacem requiemque animi » ; cui Ratio : « Magna pars rerum humanarum umbra est ; magna pars mortalium vento pascitur et insomniis gaudet » (I, 121). 5) Quisnam Franciscum, qui in carminibus ad Lauram celebrandam componendis bibisse 'Castaliis pocula aquis plena' videatur, ab 'Invectivis' et verbis contumeliosis minime se abstinuisse putaret ? Atqui ille quattuor libros invectivarum « in medicum quemdam » scripsit et alias « contra quemdam magni status hominem sed nullius scientiæ aut virtutis » nec non « contra eum qui maledixit Italiæ ». Depromptas hac ex invectiva en sententias quasdam : « Sed hic barbarus, nostrarum rerum vituperationes suarum laudibus intermiscens, non irati tantum sed furentis in morem, nullo ordine multa in nos, stomachi impos, evomuit ».

Nec minus acerbe in eos obtretratores invectus est Petrarca, quorum verba sæpe venenata ad iustam iram etiam candidissimum quemque movissent. Istorum contumeliosas impudentesque sententias passim suis in operibus refellit Franciscus, veluti quadam ex epistula « Ad Ioannem de Certaldo » scripta patet, cuius in epistulæ fine leguntur hæc : « Tandem vero, amice, aliquando, si placet, hos obtretratores nostros latine loquentes aut scribentes aliquid audiamus, et non semper in angulis inter mulierculas ac fullones vulgaria eructare problemata... Scribant modo aliquid, quæso, ut et nobis uti si libeat, esse dentes intellegant... Sibilant semper ac latitant 'et in hoc se doctos arbitrantur si aliis detrahant', ut cum illo finiam qui talia multa passus est Hieronymo » (Senilium rerum L. II, 1). 6)

« Rerum memorandarum libri » sunt opus historicum, quo Petrarca quædam « exempla Romana, externa, moderna » recollere voluit. Robertum Angioinum (1278-1343), Neapolitanorum regem eundemque litterarum cultorem laudavit Franciscus hunc in modum : « At ego - inquit rex - iuro dulciores et multo cariores mihi litteras esse quam regnum ; et si alterutro carendum sit, æquanimus me diademate quam litteris cariturum ». Cui Franciscus : « O vox vere philosophica et omnium studiosorum hominum veneratione dignissima, quantum mihi placuisti ! » (I, 37). 7) Quamvis in poemate « Africa » inscripto, quod novem in libros est dispersitum, multa parum bene composita sint, in ipso tamen non desunt nonnulli versus lectu digni ; mirum in modum ex. gr. narratur Sophonibæ obitus, pulcherimæ Syphacis regis uxoris, quæ, marito a Romanis capto, Masinissæ nupserat, a quo postea, ne ipsa in Romanorum dicionem redigeretur, haud invita venenum a servo quodam porrectum hausit : « Suscipio mandata libens, nec dona recuso/ regia, si maius nihil est, quod mittere dulcis/ posset amans : certe melius moriebar, in ipso/ funere ni demens nupsissem ; numina testor/ conscia, non aliquid quoniam de coniuge caro/ sit nisi dulce mihi ; sed sidera promptius alta,/ terrenis ut eram vinclis exuta, petebam./ Hoc refer extremum, et mortis mihi testis adesto » (L.V, 728-734). 8) Multas præterea epistulas Petrarca scripsit, quæ « Familiars » plerumque inscribuntur (in 24 libros dispersitæ) et « Seniles » (in 17 libros dispersitæ), nec non alias q. t. « Variæ » et « Sine nomine ». His omnibus ex epistulis non modo quæ rerum Italicarum id temporis condiciones, verum etiam penitiora Francisci ipsius cogitata intellegi possunt, præsertim cum ille sine ambagibus laudare aut improbare soleret atque a dissimulationibus omnino esset alienus. Exempla : « Ad cenam expectatus venies, memorque non hic

Cuppedinarum Forum esse. Cetera duriora ; inelaboratum ac rigidum panem, fortuitum leporem, aut peregrinam gruem ; idque perraro ; et callum fortassis apri rancidioris invenies. Quid multa ? Neque locorum nec victus asperitas ignota est tibi. Itaque non pedibus tantum, sed, ut facete Plautinus parasitus ait, calceatis dentibus ut venias admoneo » (Fam., II, 11). Ad Ioannem Boccaccio (de Certaldo), amicum sibi carissimum, olim Franciscus scripsit hæc : « Quemcumque me feceris - nihil enim est quod non possit docti disertique viri stilus - mihi tamen enitendum est, si sum nihil ut sim aliquid, si sim aliquid ut sim plusculum, et si essem magnus - quod utique non sum - ut quæ datum esset fierem maior ac maximus. An non mihi liceret Maximini illius immanis et barbari verbum usurpare ? Cui cum suaderetur ut iam satis magnus nimio parceret labori, 'Ego vero' inquit, 'quo maior fuero eo plus laborabo'. Dignum verbum quod non a barbaro diceretur ! » (Sen., XVII, 2)

Eos Latinitatis cultores, qui omnia opera Latine scripta pendere ac rimari 'oculis Ciceronianis', ut quidam aiunt, soleant, quam sæpe Petrarca a regulis 'aurei sermonis Latini' propriis desciverit certe non fugit. Ille enim A) sæpe modo indicativo usus est, ubi coniunctivus adhibendus erat ; B) promiscue usurpavit pronomina, quæ sunt 'ipse, hic, sui, sibi, se' ; C) adverbia 'plus, magis, potius' indistincte haud raro scripsit ; D) 'temporis consecutionem', quæ dicitur, interdum non observavit. Hæc aliæque eiusmodi improprietates, quas venaticus quisque indagator naso suspendat adunco, nihil tamen pulchro scribendi generi, quod ille adhibuit, adimere valent, propterea quod « nihil in Francisci Petrarca Latinitate est molesti, nihil putidi, nihil non naturalis », ut adfirmavit Hugo Henricus Paoli (1884-1963), eximius linguæ Latinæ cultor idemque criticus minime benevolus. Petrarca igitur non modo inter illius sæculi scriptores eminuit, verum etiam omnium fere virorum doctorum fuit antesignanus, quorum studio atque amore erga Latinitatem factum est ut sermo Latinus nova floresceret iuventute : eos dico scriptores innumeros, qui ab ineunte sæculo quinto decimo usque ad totum pæne duodevigesimum Latinitatem multis in Europæ regionibus modo vivo et quam latius propagato coluerunt. Quibus quidem viris, qui multum ac multa a Francisco Petrarca sumpserunt, sicut ille ab omnibus fere antiquis scriptoribus facere consuevit, haud minus quam Romanis ipsis forsitan illudtribuendum est meritum, quod etiam nunc sermo Latinus nondum extinctus esse videatur. ❧

## SOCOLATA, NVM SIT SALVBRIS

- scripsit Francisca Deraedt -

Quid commune est inter murem et hominem ? Uterque socolatam amat. Hoc probatum est experimento in Anglia nuper facto : indagatores muribus apposuerunt complures muscipulas variis odoribus illitas, atque voraces mures, ceteris despectis (etiam caseo, o tempora !), potissimum cucurrerunt ad socolatam ! Quod nemo socolatam non amat, non statim intellegitur, cum cacao<sup>1</sup>, e qua eius sapor oritur, per se non sit comestibilis. Hoc autem paradoxon commonet tabaci, cuius saporem parum iucundum plurimi tamen homines magni faciunt. Tabacum autem continet nicotinum, quod est droga, id est molecula psychotropica qua neurona in cerebro excitantur efficiturque obnoxia consuetudo.

Quid ergo de socolata ? Fierine potest ut etiam insit aliqua substantia psychotropica ? Sic melius intellegatur, cur nonnulli homines ea plus paucos dies carere non valeant. Nonne socolata dicitur energiam augere ? Iam Bernal Díaz del Castillo, anno 1552, in *Veridica historia expugnationis Novæ Hispaniæ*<sup>2</sup>, prædicabat hominem, qui socolatam bibisset, totum diem itinerari posse sine cibo. Eodem tempore socolata iam dicebatur virtutes habere aphrodisiacas. Et Mexici rex Moctezuma, qui complures habebat uxores, cocoæ cotidie solebat, ut fama fert, quinquagena pocula, eademque aurea, ebibere. Hispanis tamen socolata diu nihil aliud fuit nisi medicamentum, id est unguentum quo sanabantur adustiones. Postea religiosi et primi coloni rem adhibuerunt ad stomachum curandum, addita maizii farina, vanilla, cinnamomo, pipere, caryophyllo, aniso et saccharo in America antea ignoto. Atque hæc mira potio sic facta est sapida.

Qua mutatione facta contigit ut socolata oceanum transiret Europæosque delectaret. Mox nobiles Hispani nihil aliud bibere volunt. Elegantes mulieres hoc suave nectar ne in missa quidem deponunt. Ecclesia autem catholica dubitat, quid de ista nova re sit iudicandum. Estne cibus an potus ? Estne tempore quadragesimæ toleranda ? Iesuitæ, qui cacaonis commercium ex America faciunt, asseverant ieiunium cocoa nequaquam rumpi. Dominicani contrarium profitentur. Denique, multis interpositis disputationibus, res iudicatur esse potus atque cardinalis Franciscus Maria Brancaccio anno 1662 famosam formulam pronuntiat : « Liquidum non frangit ieiunium ». Suspiciari licet eum amavisse cocoam...

Ab illo tempore socolatæ appetentia numquam est deminuta. Annis autem nonagesimis nonnulli pharmacologi autumaverunt eam substantias continere cannabis similes atque insaniam gignere necnon sensus similes eorum, qui aliis drogis perciperentur.

Investigationibus peractis compertum est eas substantias inesse quidem in cacaone, sed proportione tam ridicula, ut nullus esse possit effectus. Eisdem tamen fortasse explicari delectationem, qua socolatam comedentes afficimur.

Alii scire conati sunt, cur non pauci nostrum cacao ni sint obnoxii ; atque theobrominum accusaverunt, quæ est molecula, ut aiunt, psychoactiva. Theobrominum in cacaone est id quod coffeinum est in cafea, theinum in thea et nicotinum in tabaco : alcaloidum, id est substantia chemica, cuius moleculæ inest nitrogenum. Certe hæc substantia toxica est et mortifera, si maxima copia ingeritur ; sed tum tanta socolatæ copia esset comedenda, ut cruditate potius periremus... Ceterum nolimus oblivisci omnem abusum esse nocivum, etiam aquæ...

Patet autem non solum mures, sed etiam homines imprimis allici cibis sive saccharatis sive pinguibus, quibus facile afferuntur caloriæ corporalibus viribus necessariae. Ergo non ipsa cacao nos delectat, ut videtur, sed id quod socolatarius ei addit : præcipue saccharum, nonnumquam etiam adeps, sed non necessario, cum in cacaone iam sit byturum vegetale.

Re vera solis bulimosis, in quibus saccharum et adeps nimiam efficiunt endorphini<sup>3</sup> copiam, socolata est tamquam droga. Præterea socolatam plurimum amant athletæ et mulieres nervis laborantes, item ei, qui aliis substantiis ut cafea aut tabaco solent abuti. Sed socolata non est psychotropicum, neque nocet valetudini, dum ne comedatur immoderate, ut est de omnibus rebus.

Non solum socolata non nocet, sed e contrario nunc magis magisque putatur valetudini favere. Continet enim antioxydantia<sup>4</sup>, quibus cordis vasorumque morbi vitantur et cholesterolum minuitur. Itaque fama nunc fert socolatam prodesse simul et cordi et arteriis. At nondum bene scitur quam utiles re vera sint hæc pretiosæ substantiæ, cum compertum sit eas fugaces esse nec diu in sanguine manere. Res etiam pendet a socolatæ genere : nam in socolata nigra est duplex copia antioxydantium, quam in socolata lactea, quæ præterea vix habet utilitatem nutrimentalem. Lactea autem socolata, Lector, tibi magis placet ? Hoc tibi sit solacio : recens investigatio Americana ostendit in ea esse calcium, phosphatum et fluorum, quæ ad dentes firmandos pertinent.

Nolimus tamen oblivisci socolatam calorias continere non paucas. In hac re contra sententiam vulgatam apparet differentiam inter utrumque genus non esse notabilem : nam 520 caloriæ insunt in centum grammis socolatæ nigræ, in eadem portione lacteæ socolatæ

insunt 550 caloriæ – tot, quot in 200 grammis pomorum frictorum aut in tribus olei cochlearibus. Itaque si quis antioxydantium effectum frui cupiverit, melius faciet, si poma et holera comedit.

Denique facere non possum quin vobis formulam communicem placentiæ socolatæ omnium suavissimæ, cui nomen est « mollitia socolateæ ». Ingredientia : 250 gramma socolatæ nigræ, 175 gramma butyri, 125 gramma sacchari farinati, 75 gramma farinæ, 5 ova. Socolatam in balneo Mariæ lente liquefacito cum butyro. Farinam diligenter commisceto cum saccharo et ovis, addito socolatam cum butyro liquefactam. Sex formas rotundas, quæ diametrum habeant 7,5 centimetrorum, ponito in folio chartæ siliconatæ ; formas eadem charta vestito et compositione socolateæ impleto. In furno septem octove minutas coquito, temperatura ducentorum graduum. Rem ministrato tepidam. Oportet pars interior adhuc sit liquida. Vobis experta dico : si quis hoc comedit, non iam cogitat de cholestero... ❀

1. Cacao, onis f. est ipsa arbuscula, cocoa, æ f. est potio inde fabricata ; cfr N. Gross, « Esculenta et potulenta », in : *Vox Latina*, 54, p. 394.

2. Hispanice conscripta sub titulo : *Historia verdadera de la conquista de la Nueva España*, 1552.

3. Endorphinum est analgeticum naturale, morphini simile, quod ipse organismus fabricat ad dolorem abigendum.

4. Antioxydantia : his substantiis impediuntur radicalia libera, instabiles moleculæ quæ genus nocere possunt, et minuitur cholesteroolum.



TRAITES NOUVEAUX & CURIEX DV  
CAFE DV THE, ET DV CHOCOLATE  
Composéz  
Par Philippe, Sylvestre Dufour.

## FLOSCVLI ERASMI (V)

## « Adagia anni 1515 »

– quos proponit Alexander Vanautgaerden –

Annus 1515 Erasmo fuit plenissimus ; nam non solum operam dedit sancti Hieronymi edendis Operibus omnibus, sed etiam novam paravit versionem Novi Testamenti, addito commentario necnon emendato textu Græco, publicavit opera Senecæ, Moralia Plutarchi, scripta Catonis, conscripsitque Institutionem Principis Christiani futuro Carolo Quinto dicatam. Retractatio autem Chiliadum ita facta est ut Adagia vera, sicuti nuntiatum erat, quarta parte auferentur. ¶ Cum Collectanea 838 adagia continerent, Venetiana editio iam 2.360 proponebat. Septem annis post, anno 1515, non minus 3.411 adagia lectoribus oblata sunt. Itaque hac quidem occasione iustum erat venditionis argumentum, quod incremento satis magno nitebatur. At non semper fuit ita : nam cum inter annos 1500 et 1508, postea 1508 et 1515, animadverteretur vera operis metamorphosis, in posteris editionibus amplificatio fuit multo tenuior : 3.422 adagia anno 1518 ; 3.443 anno 1520 ; 3.482 anno 1523 ; 3.535 anno 1526 ; 3.658 anno 1528 ; 3.658 anno 1533 et solum 5 plus, anno 1536, in ultima editione Erasmo vivo facta : 4.151 adagia. Re perspecta, sola editio anni 1528 (123 adagiis aucta) impedire poterat ne emptor se fraudatum sentiret, cui falso proponerentur novæ editiones « multum auctæ » .

*Io. Frobenius lectori S.*

*Accipe studiose lector obviis (quod aiunt) manibus Proverbiorum Erasmi Roterodami Chiliades, sic ab auctore nuper auctas, ut operi supra priores evulgationes plus quam quarta pars accesserit. Equidem hanc novissimam editionem cunctis impendio profuturam credimus, tum quod sit oppido quam castigata, tum quod ob novam accessionem ex optimis auctoribus affatim sit locupletata. Nos sane nec sumptui, nec operæ parcendum putavimus, quominus tam frugiferum opus nitidissime castigatissimeque prodiret in publicum. Bene vale. Apud inclytam Basileam.*

Eiusdem editionis factæ sunt duæ emissiones, titulo paululum mutato :

*Erasmi Roterodami, prouerbiorum Chiliadas, rursus ab ipso non æstimandis sudoribus recognitas, & ex probatissimis auctoribus sic locupletatas, ut superioris editionis summæ, fere quarta pars accesserit. Nos neque sumptui, neque labori peperimus, ut vere flumen aureum vocare possis, quam emendatissimum e nostra officina prodiret in lucem, plane novum, & bactenus a nemine excusum. Eme, fruere, & Vale. In Inclyta Basilea.*

Pagina tituli ornata erat pulcherrima xylographia,

qua complures auctores antiqui fingebantur sub umbra trium poetarum, Homeri, Hesiodi et regis Salomonis. Auctores antiqui distributi sunt per paria, sicut Urbini in castelli picturis a Petro Berruguette et Iusto Gandavensi confectis. Agnoscuntur : Aristides & Demosthenes; Plato & Aristoteles ; Euripides & Aristophanes ; Plutarchus & Lucianus ; Theocritus & Pindarus ; Cicero & Quintilianus ; Vergilius & Horatius ; Plinius & Aulus Gellius ; Titus Livius & Sallustius. ¶ In aversa pagina est catalogus tribus columnis compositus, qui auctorum effigiebus respondet et operis fontes indicat. Hi ordinati sunt secundum linguam et genus.

## AVTHORES GRÆCI

## POETÆ

Homerus. Eustathius huius interpres. Pindarus. Pindari interpres. Æschylus Tragicus. Sophocles. Euripides. Aristophanes. Epigrammata Græca, diversorum. Callimachus. Aratus. Apollonius. Argonauticorum auctor, & huius interpres. Nicander. Oppianus. Lycophron, & huius interpres. Phocylides. Theognis. Theocritus. Hesiodus.

## HISTORICI

Herodotus. Thucydides. Plutarchus, de vitis. Dionysius Halicar. Xenophon. Pausanias. Iosephus. Herodianus. Diogenes Laertius.

## COSMOGRAPHI

Strabo. Stephanus. Ptolemæus. Mela.

## ORATORES

Demosthenes. Interpres. Æschines. Isocrates. Aristides. Lysias. Synesius. Alciphron. Aphthonius. Lucianus. Philostratus. Hermogenes. Syrianus.

## PHILOSOPHI.

Plato. Proculus. Aristoteles. Themistius. Io. Grammaticus. Alexander Aphro. Theophrastus. Plutarchus. Dioscorides. Hippocrates. Galenus. Æsopus. Horus.

## THEOLOGI

Origenes. Basilius. Nazanzienus. Chrysostomus.

## GRAMMATICI MIXTI

Suidas. Eudemus. Etymologicon. Stephanus. Iulius Pollux. Athenæus. Ni. Stobeus. Zenodotus. Apostolius Byzantius. Diogenianus. Phurnutus.



AVTHORES LATINI

POETÆ

Plautus. Terentius. Vergilius. Horatius. Ovidius.  
Catullus. Lucanus. Lucretius. Martialis. Persius.  
Iuvenalis. Ausonius. Tibullus. Propertius. Claudianus.  
Publius Mimogra. Statius. Sillius Italicus.

HISTORICI

Sallustius. Livius. Ælius Lampridius. Iustinus. Iulius  
Capitolinus. Valerius Maximus.

GRAMMATICI

Nonius Marcellus. Festus Pompeius. M. Varro.  
Diomedes. Donatus. Servius. Porphirion. Acron.

ORATORES

M. Cato. M. Tullius. Quintilianus. Seneca. Plinius  
Cæcilius. Asconius Pedianus.

MIXTI

Plinius avunculus. Aulus Gellius. Macrobius. Arbirer  
Petronius. Angelus Politianus. Hermolaus Barbarus.

PHILOSOPHI

Pandectæ Iuris. Columella. Vitruvius. Vegetius.  
Finis.

In fine operis etiam invenitur epistula typographi Iohannis Frobenii, cuius copia verborum, ut humanisticis temporibus est mos, paginam tituli amplificat. In ea duo argumenta inveniuntur, quæ de titulo in titulum postea repetentur : laus Germaniæ et exhortatio studiosæ iuventutis. Necnon, ut obiter dicamus, suavis adnotatio, initio libri iam adumbrata, de laborantium sudore, cuius olor veteres officinas inficiebat...

IOANNES FROBENIVS BONARVM LITERARVM AMATORIBVS S.D.

Habetis candidissimi, bonarum litterarum candidati, Erasmi Roterodami Proverbiorum Chiliadas, ex omni veterum autorum genere, summis vigiliis, summoque ingenio collectas, opus eruditum, copiosum, ac plurimum habens antiquitatis, utilissimum, uel ad parandam eloquentiam, vel ad priscos illos scriptores intelligendos, ac nuper ab ipso autore recognitum, emaculatum, expolitum tantaque locupletatum accessione, ut plus quam quarta pars accreverit. Id quoniam iudicavimus magnam utilitatem allaturum, omnibus, quibus veræ bonæque litteræ cordi sunt, nullum omnino fugimus neque sumptum, neque laborem, ut e nostra typographica officina quam

emendatissimum exiret in lucem, edituri, propediem & alia permulta, non minus placitura, quam hæc. Decevimus enim omnem operam, immo opes omnes ac vitam in hoc impendere, ut studiosorum industriam nostra adiuvemus industria, atque id genus vere pulcherrimis monumentis Germaniam nostram illustremus. Vestrum est vicissim optimi iuvenes, nostris favere conatibus. Atque ita sane favebitis, si quo studio nos hæc prodidimus, eo studio vos amplectamini, quo mihi diu facultas suppetat, huiusmodi lucubrationes subinde novas in medium proferre. Autoris immensis sudoribus, meo iudicio, nulla meritis par gratia rependi potest. Et tamen ille sibi cumulate relatam putabit, si senserit, suos labores vobis & iucundos & frugiferos fuisse. Nec me tanti sumptus, aut sudoris pænitebit, si modo quod sequor, assequi liceat. Emitte, evolcite, fruimini, ac feliciter valete. Apud inlyctam Basilam, ex ædibus nostris.

An. M. D. X. V.

AVTORVM CATALOGVS. NON OMNIVM NARIVM fuerat biblicis, nec iudicis fructu, sed præcipuè, e quorū monumē- tis collecta Chiliades sunt Adægorum, præter eos, quos ab alijs citā- tus deprehendit.		AVTORES GRÆCI	
POETAE	Alciphron	Lucetius	
Homerus	Aphthonius	Martialis	
Euphathus	Lucianus	Persius	
Terpse-	Philostratus	Iuvenalis	
Pindarus	Hermogenes	Ausonius	
Pindarus	Syranus	Tibullus	
Aechylus Tragicus	PHILOSOPHI	Propertius	
Sophocles	Plato	Claudianus	
Euripides	Proculus	Publi' Mimogra.	
Antiphones	Aristoteles	Stadius	
Epigrammata Gre-	Themistius	Sillius Italicus	
ca, diuerforū,	Io. Grammaticus	HISTORICI	
Callimachus	Alexander Apirio.	Salustius	
Aratus	Theophrastus	Livius	
Apollonius	Piurarchus	Ælius Lamprid'	
Argonauticord' au-	Dioctrides	Iustinus	
tor & hu' interpis	Hippocrates	Iulius Capitolinus	
Nicanter	Galenus	Valerius maximus	
Oppianus	Aetopus	GRAMMATICI	
Lycophron & hu-	Horus	Nonius Marcellus	
ius interpis.	THEOLOGI	Festus Pompeius	
Phocylides	Origenes	M. Varro	
Theognis	Basilus	Diomedes	
Theocritus	Nazanienus	Donatus	
Hesiodus	Chrysfomus	Seruius	
HISTORICI	GRAMMA-	Porphirion	
Herodotus	tici mixti.	Acron	
Thucydides	Suidas	ORATORES	
Plutarch' de vitis	Eudemas	M. Cato	
Dionys' Halicar.	Eymologicon	M. Tullius	
Xenophon	Stephanus	Quintilianus	
Pauianus	Iulius Pollux	Seneca	
Iofephus	Athenus	Plinius Cæcilius	
Harodrianus	N. Stobæus	Asconius Pedian'	
Diogenes Laerc'	Zenodorus	MIXTI	
COSMOGRA-	Apollol' Bithius	Plinius avunculus	
PHI	Diogenianus	Aulus Gellius	
Sirabo	Phurnutus	Macrobius	
Stephanus	AVTORES	Arbirer Petronius	
Ptolemæus	LATINI	Angelus Politian'	
Mela	POETAE	Hermolaus Barba-	
ORATORES	Plautus	PHILOSOPHI	
Demothenes	Terentius	Pandectæ Iuris	
Interpres	Vergilius	Columella	
Aechines	Horatius	Vitruvius	
Ilocrates	Ovidius	Vegetius	
Aristides	Carullus	Finis.	
Lyllas	Lucanus		
Synehus			

## QVID EST ANIMAL ?

- de iuribus animantium disserit Samius Jansson -

Disputationes de iuribus animalium in actis diurnis interdum lego. Opera philosophica de hac re scripta sunt multa<sup>1</sup>. Qua ratione iura possint dari animalibus, quæ causas consequentiasque rerum non percipiunt, evidenter nescientia inter malum et bonum optare ? Iam præbetur quædam responsio : similia hac in re scilicet sunt ac infantes. Quod enim iura dantur infantibus facultate hominum adultorum cogitandi et optandi carentibus, cur tamen non æqua ratione animalibus ? Multi defensores animalium optant, ut divinari licet, diætam vegetariam, quod animalibus dolorem afferre nolunt.

Exemplis sæpe habentur animalia, quæ evidenter homines in memoriam revocant. In animo fingite vulpes aut gallinas caveis inclusas, laboratorii medicinalibus rattum, cuniculum vel simiam. Si vulpes acuto baculo percutitur, manifesto patitur dolorem, quem clare indicat. Vulpes vulnerata respondet tali ratione, quæ sensus nostros non fallit.

Constat haud paucas in periculum fere ductas esse species plantarum, quæ biodiversitatis<sup>2</sup> principio deductis rationibus a periculo intereundi defenduntur. Quis autem audivit quemquam plantas tueri ea ratione, qua sint subiecta moralia ?<sup>3</sup> Plurimi enim pro certo habent herbas nihil sentire, nihil experiri, neque existere ut individuæ res eodem modo ac homines, quos ut semper personas integras esse censent etiamsi sopore sint mersæ.

Naturæ investigatores iudicant naturam esse entium multitudinem, quæ vel valde subtiliter vel summatim in classes distribui potest. Distributione quadam principali definitur biologorum destinatum investigandi. Possumus enim discernere inter animantia et inanimantia (reapse etiam hæc ambigua est classificatio). Hic biologus accedit viam, quæ eundem in diversam partem ducit a geologo et chemista etiamsi harum rerum investigatores iterum inter se obviam veniunt in studiis biochemiæ et palæontologiæ.

Hic interim facio mentionem alicuius distributionis maxime generalis : nempe entia possunt distingui inter classes naturalium et innaturalium. Distinctionem huius generis censeo esse potius rhetoricam, quamquam multi valde serio his verbis loquuntur. Meminisse enim nos oportet illud verbum « naturale » duabus (saltem) rationibus adhiberi : prima significatio eiusdem ad scientiam pertinet, altera potius ad spes normasque vivendi nostrum. Si enim digitus mihi pedis casu infelici distortus esset et dicerem eum tum esse ratione innaturali positum, his tamen verbis non dico hanc rerum condicionem contra leges naturæ repugnare. Me invito simpliciter distortus esset et

dolore me afficeret.

Si secundum rationem biologorum viventia in regna<sup>4</sup> distribuimus, imprimis distinguimus inter procaryota et eucaryota animantia. Singulis in eucaryotis cellulis intus est nucleus, in quo materia genetica inclusa est. Procaryota autem nucleo carent. Eorum igitur materia genetica passim in plasmate cellulari fluitat. Omnia bacteria inter procaryota numerantur, e.g. *Escherichia coli*. Hæc inseparabiles sunt sociæ nostræ, quæ centies milionum multitudinibus habitant intus in intestino omnis hominis. Procaryotorum regno nomen est Monera. Hæc omnia sunt unicellularia. Alia autem omnia animantia inter eucaryota numerantur. Et saltem quattuor regna eucaryotorum a biologis classificata sunt : Protista sive et unicellularia et oligocellularia eucaryota, Fungi, Plantæ et Animalia. Biologi etiam alia regna animantium existere recenter proposuerunt.

Animantia etiam secundum modum vivendi possunt classificari. Hic iterum ea in duas classes distribuere possumus. Animantia sunt aut heterotrophica aut autotrophica. Autotrophica adhibent extraneam quandam energiam ad alimentum sibi ex materia inorganica vel organica creandum per chemo- aut photosynthesin. Credo omnium notissima exempla esse plantas virides, quæ numerantur inter animantia phototrophica quarumque in partibus viridibus et præcipue foliis insunt chloroplasta. Hæc velut pilulæ solaris<sup>5</sup> naturæ per metaphoram dici possunt.

Ergo animans quodcumque est heterotrophicum si non est autotrophicum. Animans heterotrophicum non valet usurpare materiam inorganicam, sed debet vivere compositionibus chemicis quodam alio animanti aut heterotrophico aut autotrophico paratis. Aliqua heterotrophica dissolvunt mortua animantia, sicut plurima faciunt bacteria et fungi. Alia autem usurpant animantia viventia sicut parasiti aut necant et devorant sicut prædatoria. Hac ratione tamen nondum definimus verbum *animal*. Summatim narraui qualia in mundo hoc existant animantia lectorique ita sententiam meam indicare tentavi : animalia non tam multum a fungis vel a plantis differunt quam multi iudicant.

Quid igitur est animal ? Secundum regulam biologiam, animal definitur ut heterotrophicum, aut sexualiter aut hermaphroditice progignens pluricellulare eucaryotum animans. Animal se movet et caret chloroplastis, et cellulæ eius conformant texturas sive histia ex quibus organa vitalia constructa sunt. Animans quodcumque numeratur inter animalia, si saltem his qualitativibus præditum est.

At natura hac in re non tam simplex est, quam libentius optaremus. Existunt enim animantia simul

et animalium et plantarum qualitatibus prædita. Aliqua unicellularia (Mastigophora sive Flagellata) habent plastida, quibus inest chlorophyllum. Ita autotrophica sunt, quod photosynthetizantes parant sibi alimentum eadem ratione ac plantæ virides. Veruntamen hæc se in aqua movent flagello sive cauda propellentes. Talis est e.g. *Euglena viridis*. Euglena nostra etiam habet sensus simplices, quorum principalis est stigma, quod est lumen sentiens rubra macula. Hunc « oculus » adhibens euglena se dirigit ad partes luminosas in aqua, ubi optime photosynthetizare valet.<sup>6</sup> Suntne igitur euglenæ plantæ unicellulares an potius animalia ?

Biologia ita commoda est scientia, ut semper animantia in duas categorias distribui possint secundum quandam proprietatem, qua aliqua prædita sunt, omnia autem alia eadem proprietate natura privata sunt. In duas categorias semper possunt distribui animantia, quod secundum theoriam ab omnibus fere biologicis acceptam omnia animantia ex simplicioribus entibus originem suam trahunt (improprie hoc phænomenon biologi appellant verbo « evolutio »). Una enim sola mutatione genetica, species animans novata est, quamvis omnes aliæ proprietates eius veteres sint et natura probatæ. Si nova quadam proprietate præditum animans specierum æmulationem naturalem tolerat, ita nascitur nova animantium species, quæ sola hac proprietate prædita est.

Quamquam *Euglena viridis* distinctionem inter animalia et plantas tollere videtur, non debemus sollicitari. Nam Mastigophora sive Flagellata animantium sunt regni, quo excluduntur plantæ et animalia. Unicellularia numerantur inter Protista, quæ secundum definitionem nec plantæ nec animalia sunt, etiamsi vident, se movent et photosynthetizant.

Cum primum Athenienses democratiam invenerunt, iura non dederunt nisi civibus adultis Atheniensibus virilibus. Antiquissimis temporibus pater familias erat dominus et tutor servis, pecori, liberis et uxori suæ. Multo post in Europa iura tributa sunt etiam mulieribus ingenuis, infantibus, deinde in universum hominibus et sic liberati sunt servi.

Disputatio bioethica scientiam naturæ mihi in memoriam revocat. Nonne plurimi, qui de iuribus animalium vel animantium disputant, tantum requirere videntur criteria necessaria sine quibus animans quoddam excluditur certa categoria ? Hæc autem ratione non tollitur vetus problema ethicum. Æqualitas nos fugit, quod post angulum ædificii proximi semper insidiatur aliquis, qui se invenisse indicat novum numerum oppressum sive hominum sive animantium.

Si mundus aliquo die futuro morem gesserit defen-

soribus animalium, censeo et animalibus tunc iri tributum iura etiamsi aliquibus condicionibus definita. Eorum enim iura similia futura esse ac infantium. Non postulari posse, ut animalia ante tribunal sibi ipsis iudicata contra iniurias petant. Nec etiam eligi posse, ut magistratus rei publicæ fiant.

Atqui iura omnino integra omnibus animalibus tribui vix possunt, tunc enim consilium nostrum effici nequeat. Quomodo iura definiremus exempli gratia animali tali parasitico, cui nomen est *Schistosoma mansoni* ? Hoc est Trematodum molestum, quod habitat in venis mesentericis<sup>7</sup> Mammaliorum. Libentissime etiam homines intrat. Vita huius animalis necessario parasitica est. Si ei licentiam parasitandi negamus, eadem ratione sequitur ei sententia capitis. Quicumque in Nilo nataverit, hoc parasito verisimiliter penetratus perpetuo laborabit.<sup>8</sup>

Iterum autem animalia in duas categorias distribuamus : animalia conscia et haud conscia. *Schistosomatis mansoni* conscientia rerum vix demonstrari potest qua quidem ratione illud forsitan inter animantia haud conscia numerari liceat. Quod periculum intereundi huic parasito non (saltem nondum hodie) imminet, eundem protegi opus non est, ne vel ad biodiversitatem pertinentibus rationibus.

Distinctionem inter conscia et haud conscia animalia per analogiam statim sequitur distinctio inter sentientia et haud sentientia. Hac in re nihil novi est. Henricus More, philosophus Anglus, postquam legerat Renati Descartes opus *La Description du corps humain - De la Formation de l'animal* anno 1648 editum, litteras misit furibundas et acres ad collegam suum, qui opere isto narrat de experimentis crudelissimis animalium sumptibus factis.<sup>9</sup> Henricus valde dolebat, quod philosopho tam laudabili non in mentem venisset se animalia experimentis suis torquere.<sup>10</sup> Eo autem antiquiores rationes nobis traduntur a Plutarcho philosopho, qui de sollertia animalium et de esu carniū disputavit operibus quibus nomina sunt Πότερα τῶν ζῴων φρονιμώτερα et Περὶ σαρκοφαγίας.<sup>11</sup>

Rusticus animantia simpliciter definit ut nota et aliena, bona et mala. Animalia ei videntur aut utilia aut familiaria. Ita venator lacrimam fundit, si coactus est canem suum socium, qui in silva vulneratus est, vita privare, sed feram silvaticam cum sclopetavit triumphat. Pro insano certe haberetur a plurimis, si postquam canem suum ad mortem duxit, gaudio affectus esset, flens autem feras collinearet sclopeto suo. Agri cultor multas aviculas fortassis amet, sed rodentia animalia certe mallet omnia in periculum capitis redigere. Si vice versa ageret, rarissimi nostrum eius consi-

lia intellegere possent.

Concludi potest, ut credo, rationem animantia classificandi a nobis approbatam sæpe dependere a modo vivendi nostrum. Nemo adhuc invenit regulam universalem, qua ut subiecta moralia possimus definire omnia animantia et quæ ab omnibus approbetur. Nihilominus quidem censeo optime agere animalium defensores, qui homines vel admodum humaniores reddere conantur. ❧

1. Videte e.g. Regan, Tom : *The Case for Animal Rights*, The Regents of the University of California, 1984.
2. Biodiversitas est multitudo specierum animantium. Agitur non solum de animalibus, sed etiam de plantis, fungis etc.
3. Subiectum morale est e. g. homo, qui potest pati iniuriam. Lapis vero non

est subiectum morale. Lapis, qui perfringitur malleo, ea ratione non violatur nec offenditur, etiamsi mille particulis in terram dispergatur.

4. Secundum systema classificandi animantium exempli gratia homo particeps est regni *Animalium*, phylli *Cbordatorum*, subphylli *Vertebratorum*, superclassis *Tetrapodorum*, classis *Mammalium*, ordinis *Primatium* superfamilie *Hominoideorum*, familie *Hominidarum*, generis *Hominum* et speciei *sapien-tium*.
5. Pilulis solariis energia solis transmutatur in fluentum electricum.
6. Videte Storer, Tracy I. et al. : *General Zoology*, p. 337, McGraw-Hill Book Company, 1979.
7. Venæ mesentericæ sanguinem ad cor ferunt iecore, intestinis etc.
8. Videte Smyth, J. D. : *Introduction to Animal Parasitology*, p. 236, Cambridge University Press, 1994.
9. Videte *Oeuvres de Descartes* éditées par Adam, Charles & Paul Tannery, tom. XI, p. 239, Librairie Philosophique J. VRIN, 1996.
10. Videte ibidem, tom. V, p. 278.
11. Videte *Plutarchi Moralia*, vol. VI, fasc. I, recensuit et emendavit C. Hubert, Lipsiæ in ædibus B.G.Teubneri MCMLIV.

## ANTONIUS A LEEUWENHOEK



Cum de animalibus hic ageretur, nobis visum est scriptum proponere ab Antonio a Leeuwenhoek de animalculis oculis non visibilibus divulgatum. Antonius enim a Leeuwenhoek (1632-1723), inventor microscopii, eo usus est ratione iam vere experimentalis. Subiuncta commentatio excerpta est ex opere, quod inscribitur *Arcana naturæ detecta*, Delphis Batavorum apud Henricum a Krooneveld, 1695. Cuius editionis frontispicium conspicitur in prima huius fasciculi pagina. In aversa tituli pagina eadem imago his verbis explanatur : « Regina scientiarum Philosophia sceptro suo monstrat Naturam, prius velatam, nunc vero conspicuam. Habet coram se varios Naturæ foetus, quorum ortum et procreationem vitreis oculis contemplatur sagax Inquisitio, alatis temporibus et oculata veste insignis. Ad hanc alacris Diligentia trahit invitum Errorem, mancum, obvinctis oculis et asininis auribus deformem. Tres, qui se Philosophos dici gaudent, prior superstitiosus ludæus, alter Christianus nimium credulus, tertius ex Aristotelis schola ethnicus (occultas qualitates humeris suis portans) nondum pervenere ad limen, in quo ipsa sedet Veritas, nullius lenocinii indigna, horrendamque Invidiam pedibus proterens. Divinum e cælo lumen Leeuwenhoekiano artificio affulget. »

## EXPERIMENTA &amp; CONTEMPLATIONES

- Antonii a Leeuwenboek -

Antehac scripsi observationes meas circa salivam, quas vidi editas in *Lectures and collections*, per Dominum Robertum Hooke qui Regiæ Societati est a Secretis, anno 1678. Postea varias denuo observationes circa salivam meam feci. (...)


Soleo autem mane dentes meos sale fricare, ac postea os aqua colluere, ac ubi edi, dentes meos molares dentiscalpio purificare, ut et aliquando eos linteo vehementer fricare, quo fit ut dentes mei adeo puri maneant et candidi, ut paucos mihi coætaneos ita videris, nec gingiva mea (quantumvis duro eam fricuerim sale) umquam sanguinem emittat. Nec tamen ideo dentes mei adeo sunt puri, quin, ubi eos per speculum, obiecta augens, intuerer, viderim crescentem inter dentes quosdam materiam quandam albam ac ob crassitiam farinæ subactæ similem. Hanc ubi viderem, censui (licet motum in ea dignoscere non possem) tamen ei viva animalcula inesse. Sæpius ergo eam aquæ pluviatili puræ, cui nulla animalcula inerant, ac etiam salivæ immiscui, quam ex ore meo petieram, postquam æris bullulas ab ea separassem, ne illæ in saliva motum excitarent. Ac passim magna cum admiratione vidi dictæ illi materiæ inesse multa exigua admodum animalcula, iucundissimo modo se moventia. Maximum genus simile erat Fig. A; hæc maximum et celerrimum habebant motum, ac per aquam aut salivam ferebantur, more piscis lupi per aquam; hæc etiam passim exiguo erant numero. Secundum genus simile erat Fig. B; hæc sæpe turbinis in modum circumagebantur, ac aliquando instituebant cursum, ut in C et D ostenditur; hæc maiori erant numero. Tertii generis figuram dignoscere non potui, nam aliquando videbantur esse figuræ rotundæ oblongæ, aliquando perfecte rotundæ; hæc adeo erant exigua, ut maiora non apparerent quam Fig. E, ac præterea tam celeriter progrediebantur, ut per se invicem ferrentur, æque ac si magnum culicum aut muscarum per se invicem volitantium numerum videremus. Hæc mihi quidem apparuerunt, adeo ut putarem me videre quædam milia in aliqua aquæ parte vel salivæ cum supradicta materia permixtæ, quæ aliquo arenæ grano non erat maior, et si ibi essent partes novem aquæ vel salivæ, una vero materiæ, quam ex dentibus sive molaribus detraxeram. Porro constabat præcipua pars materiæ ex extraordinaria striarum multitudine quarum, unæ ab aliis longitudine plurimum differentes, unius tamen eiusdemque erant crassitiei, aliæ incurvatæ, aliæ rectæ, ut in hac Fig. F, quæ inordinate iacebant atque inter semet ipsas implicatæ; et quia antehac animalcula eandem habentia figuram vidi in aqua viventia, idcirco omni molimine contendi, ut observarem utrum in illis esset vita: sed nullum

motum quam minimum alicui vitæ consentaneum potui animadvertere.

Cepi quoque salivam ex binarum feminarum ore, quas cottidie os suum colluere mihi constat; hanc autem, quantum pote, accurate observavi, sed nec in ea animalcula agnoscere potui; postea eam immiscui materiæ acu etiam ex dentibus earum exemptæ, atque tum in ea etiam tot animalcula viva una cum particulis oblongis, de quibus supra, detexi. (...) Deinde os meum (de industria) per tres dies non abluui, ac tum materiam, quæ parva copia dentibus meis et gingivæ adhærebat, cepi, eamque æque salivæ ac aquæ puræ pluviatili immiscui, atque in ea etiam pauca quædam viva animalcula repperi.

Sene quodam (qui, sobrie vivens, numquam vino adusto aut tabaco, ac raro vino utitur) mecum confabulante, conieci oculos meos in eius dentes, qui admodum erant inquinati; hoc viso ipsum rogavi, quo tempore ultimo os suum purificasset. Ad quæ respondit se hoc numquam consuevisse; cepi ergo ac observavi salivam ex eius ore, sed nil aliud in ea videre potui, quam in mea saliva aliorumque. (...)

Variæ domi meæ fuere matronæ, cupidæ videndi in aceto anguillas, quarum quædam adeo illud fastidiebant, ut sibi certum dicerent se numquam posthac velle uti aceto. Sed quid nunc fiet, ubi in posterum eiusmodi hominibus dixerimus, plura esse animalcula in sordibus dentibus in ore hominum adhærentibus, ac sunt homines in toto regno, ac præsertim in eorum ore, qui id numquam eluunt, unde tantus ex quorundam ore prodit foetor, ut molestum sit cum illis colloqui, quod multi halitum vocant putrem, cum tamen fere sit os putridum. Quod ad me, de me ipso censeo (licet os meum dicto modo cottidie eluam) non tot in his unitis provinciis vivere homines, quot viva animalcula in ore meo gesto. ❧



## DE BIBLIIS HEBRAICIS CONTROVERSA (IV)

- scripsit Gaius Licoppe -

Intra 55 annos sui regni, Manasse pacem servavit prosperitatemque populo præbuit, qualis numquam antea fuerat, sed cum, ab Assyriis compulsus, pluralismum religiosum restituerit, odio est scriptoribus Bibliorum Hebraicorum. Regnum Iuda septimo sæculo ad maturitatem pervenit : structura ædificiorum publicorum tunc fit cæmenticia eaque inscriptionibus ornantur ; permulta sigilla inscripta inventa sunt, quibus demonstratur magnam populi partem litteratam factam esse. Scæna nunc parata est ad Iosias proferendum, qui in Bibliis Hebraicis maxime celebratur habeturque par Davidi et Moysi successor :

*Sed et pythones et bariolos et theraphim et idola abominationesque omnes, quæ erant in terra Iudæ et in Ierusalem, abstulit Iosias, ut statueret verba legis, quæ scripta sunt in libro, quem invenit Helcias sacerdos in Templo Domini. Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo et in tota anima sua et in universa virtute sua iuxta omnem Legem Moysi, neque post eum surrexit similis illi (2 Reg. 23, 24).*

Nescimus qualis fuerit aspectus primi Templi Hierosolymitani ; omnia enim vestigia iacent sub ingenti mole fundamenti Herodiani Templi. Primum templum, quod rex Ioas IX sæculo iam restauravit, rex Iosias (639-609) iterum restaurari iubet ; tunc inter opera invenitur « Liber Legis », ut in Bibliis Hebraicis narratur his verbis :

*Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam : « Librum Legis repperi in domo Domini ! » (2 Reg. 22, 8).*

*Quem cum legisset Saphan coram rege, et audisset rex verba libri Legis, scidit vestimenta sua et præcepit Helciæ sacerdoti et Abicam filio Saphan et Achobor filio Michæ et Saphan scribæ et Asaiæ servo regis dicens : « Ite et consulite Dominum super me et super populo et super omni Iuda de verbis voluminis istius, quod inventum est ; magna enim ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius, ut facerent omne, quod scriptum est nobis. » (2 Reg. 22, 10-13).*

Quid est re vera hic « Liber Legis » ? Critica moderna multa argumenta affert, quibus demonstratur eum non esse vetus documentum fortuito inventum, sed libellum nationalisticum septimo sæculo, Iosias rege, conscriptum a fautoribus YHWH unice colendi in solo Templo Hierosolymitano ; patet Librum Legis, de quo agitur in secundo libro Regum, nil aliud esse nisi editio originalis Deuteronomii. Ibi exhibetur perfectus codex legum, quas YHWH Moysi tradidit in monte Sinai et a quarum observantia pendet salus Hebræorum.

Deuteronomium congruit cum novis commentis religiosis, quæ duxerunt ad reformationem a rege Iosias

susceptam. Ex Pentateucho enim, solum in Deuteronomio dicuntur « verba Foederis » exprimi, quibus parere debent omnes Hebræi. (Dt. 28, 69) In solo Deuteronomio etiam vetatur sacrificare nisi *ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi et habitet in eo...* (Dt.12, 5), i.e. in Templo Hierosolymitano. Contra, in ceteris Pentateuchi libris non vituperantur altaria in variis locis posita. In Deuteronomio solo agitur de sacrificio nationali Paschæ, in altari nationali faciendo. Ad summam, Deuteronomium congruit cum omnibus rebus, quas rex Iosias ab anno 622 primum instituit.

Medio septimo sæculo, Psammetichus I, primus pharao XXVI dynastiæ, Ægyptum liberat a dominatione Assyriorum, quorum imperium tunc est in magno discrimine. Sais, in delta Nili, fit eius urbs caput. Sine mora Psammetichus I Chanaan in dicionem suam iterum redigere statuit ; magis tamen cupit partem litoralem, quam montuosam Iudæam.

Nova scæna Proximi Orientis videtur nationali consilio regiminis Iosias favere, quod est omnes terras recuperare ubi vixerunt Hebræi vel ubi antea floruit regnum Israel. Ad tantum propositum exsequendum populus excitari debuit, quod videtur fuisse propositum Bibliorum Hebraiorum.

Per multa sæcula non dubitabatur de veritate historica rerum in Bibliis Hebraicis narratarum. Solum a septimo decimo sæculo docti dubitare cœperunt, multis quæstionibus perturbati. Quomodo, exempli gratia, Moyses potuit auctor esse Pentateuchi, cum ibi minutatim narretur eius mors ? Postea textuum critica monstravit non Moysen auctorem fuisse, sed complures anonymos multo recentiores. Apparuit quattuor primos Pentateuchi libros compositos esse ex compluribus fontibus. Contra, quintus liber, i.e. Deuteronomium, homogeneus erat et singularis. Sequentes libri, Iosue, Iudices, 1 et 2 Samuel, 1 et 2 Regum tam arte cum Deuteronomio coniuncti sunt, ut a medio circiter vicesimo sæculo docti eos vocaverint « historiam deuteronomicam ».

In hac historia, traditæ narrationes ita componuntur ut Iuda videatur primum locum semper habuisse ; epos nationale fingitur, quo celebratur certamen omnium Hebræorum tribuum contra dominatorem pharaonem, cuius imperium, quod spectat ad notas geographicas, simile est imperii septimi sæculi pharaonis Psammetichi I. Chanaan expugnatio ostenditur uno tenore facta ; pugnae fiunt in finibus extincti regni Israel, quod Iosias in dicionem suam redigere cupit. Longa prosperitas regni Israel obtegitur eiusque reges dicuntur improbi et impii.

Plerique docti putant Deuteronomium et historiam deuteronomicam septimo sæculo, tempore regis Iosias, conscriptam esse, ad consilia religiosa et bellicosa huius regis fulcienda ; alii tamen docti putant hos libros serius conscriptos esse, tempore exilii, ad rerum gestarum memoriam servandam.

Iosias imprimis ex ipso Templo omnem idololatriam expellit atque Hierosolymis delet sanctuaria cultibus extraneis dedita, quæ ibi semper in tutela regum fuerunt. Deinde supprimit cultus, quos rurales sacerdotes in excelsis locis celebrare solebant. Omnia festa nationalia etiam instituit. « Chananæi », i.e. incolæ non Hebræi, excluduntur ; iam non licet feminam non Hebræam uxorem ducere. Notandum est novum Librum Legis aliquid attractivum habere, cum iura singulorum hominum tum humiliorum cum excellentium statuat atque humanam dignitatem curet.

Adhuc non accurate scimus quantam partem extincti regni Israel Iosias in dicionem suam redigere valuerit, cum anno 609 ad oppidum Megiddo necatur a pharaone Nekao II, qui cum exercitu Euphratam petit.

Somnium magnæ Israelitarum nationis una cum Iosias exstinguitur. Quattuor ultimi reges Iuda, quorum tres sunt Iosias filii, habentur ut apostatæ ; idololatriam enim restituunt. Regnum non diu manet in dicione Ægyptiorum ; ii enim a Babyloniis profligantur, qui Assyrios iam prostraverunt imperioque Mesopotamiæ potiti sunt. Babyloni regnum Iuda aggrediuntur et totum agrum anno 597 vastant. Nabuchodonosor, rex Babyloniæ, regem Hierosolymis instituit Sedecias, qui docilis videtur ; sed iste post

paucos annos coniurat cum vicinis civitatibus et rebellat contra Babylonios.

Nunc instat ultima tragœdiæ scæna : anno 587, Nabuchodonosor cum ingenti exercitu regnum Iuda invadit populaturque, deinde Hierosolyma obsidet. Sedecias cum militum cohorte noctu ex urbe evadit aufugitque, sed : *persecutus est exercitus Chaldæorum regem comprehenditque eum in planitie Iericho, et omnis exercitus eius dispersus est, et reliquit eum. Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Rebla, qui locutus est cum eo iudicium. Filios autem Sedeciae occidit coram eo et oculos eius effodit vinxitque eum catenis æreis et adduxit in Babylonem* (2 Reg. 25, 5-7).

In fine urbis expugnatio terribilis est, ut legitur in Libro Secundo Regum : *mense quinto septima die mensis, ipse est annus nonus decimus regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps satellitum servus regis Babylonis Ierusalem et succendit domum Domini et domum regis et omnes domos Ierusalem omnemque domum combussit igne. Et muros Ierusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe satellitum. Reliquam autem populi partem, qui remanserat in civitate, et perfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, et reliquum vulgus transtulit Nabuzardan princeps satellitum* (2 Reg. 25, 8-11).

Tragoedia acta est ; YHWH non impedivit quin superbum regnum Iuda, ante quattuor sæcula ortum, modo terrifico exstingueretur. Quomodo factum sit ut post tantam cladem populus Israelitarum superviveret et cultum YHWH eiusque legem servaret... hæc est alia historia. ❖

---

## ERRATVM

¶ Professeur Tunberg

pro sua diligentia benignum lectorem rogat  
ut in præterito fasciculo, pagina 7, annotatione 21,  
sic legere velit :

Thomas Coryat, *Coryats Crudities* vol. 2 (Glasgae 1905), pp. 59-60.

## DE LINGVIS ANTIQVIS

- refert Volfgangus Jenniges -

In lucem modo prodiit apud Cantabrigienses de totius Orbis linguis antiquis liber mirificus, doctus Iuppiter et ponderosus, qui Anglice inscribitur *The Cambridge Encyclopedia of the World's Ancient Languages* a variis peritissimis linguarum hominibus conscriptus, a viro docto Roderico [Roger] Woodard curatus atque compositus.<sup>1</sup>

Vix deest ulla antiqui orbis lingua, quam mente fingi licet : ab illo Oriente, quem longinquum vocamus, ad hunc qui nobis vicinus est, quique non paucis nostratium merito carissimus evasit, quippe qui omnem nostrum pepererit quibus gloriamur cultum atque humanitatem, scripturam, civitatem, scientias, artes, litteras, religionem.

Neque deest antiqua America. Insunt enim præter Mayarum, quos vocamus, linguam (pp. 1041-1070), et Olmecorum (pp. 1071-1108) et Zapotecorum (pp. 1109-1111) qui dicuntur in America meridiana sermones. Tractantur et antiqua Serum lingua (pp. 988-1014), et Tamilorum (pp. 1015-1040) qui insulam incolunt Taprobanen.

Principem autem (post prolegomena<sup>2</sup> pp. 1-18) et primum merito obtinet locum lingua Sumeriorum (pp. 19-59) in Mesopotamia antiqua, neque prætermittitur lingua Elamitarum in illa Persidis parte, quæ ad meridiem et occidentem vergit (pp. 60-94), quique sermo, si idem est, tempore Apostolorum fortasse adhuc audiebatur (cf. *Acta* 2,9), neque Hurriticus (pp. 95-118) neque Urartæorum sermo (pp. 119-137), in extrema Anatolia hic, in partibus quæ ad Syriam spectant ille ante tria fere milia annorum florens.<sup>3</sup> Quæ linguæ quamquam inter se non sunt ulla necessitudine coniunctæ (Hurriticum tamen et Urartæorum si excipis sermones), id habent proprium quod in vocabulis coniungendis non flexu, quem grammatici dicunt, veluti Semitarum mos est et noster (ut videlicet in casus vocabula declinentur), sed potius quibusdam syllabis verborum radicibus additis (infixis, adfixis, præfixis) sive ad easdem « glutinatis », varios in sententiis notant et casus et modos, quapropter « glutinantes » simplicius hæ linguæ non raro a glottologis dicuntur. Similiter ea ratione, quam « ergaticam » nuncupaverunt, verbum temporale eiusque subiectum (quod grammatici vocant) insigniunt et rem obiectam.<sup>4</sup>

Sequitur caput (pp. 138-159) quod in universum eos tractat sermones, quos ad stirpem Afro-Asiaticam (quæ dicitur) pertinere viris doctis persuasum est, quique postea vulgatiores interdum non sunt facti : Numidarum et Libyum (qui vocabulo « Barbarorum » postea innotuerunt, quorumque ad nostra usque tempora superstes est lingua), illorum Æthiopum qui regionem « Kush » vocatam incolunt, et nonnullos ser-

mones infra Saharicam quæ dicitur solitudinem ab Afris quos nunc vocamus adhibitos (« Chad »). Neque deest eodem capite enarratio primævi Semitarum sermonis, quem « Proto-Semiticum » grammatici vocant, quique singulas genuit quæ fuerunt et quæ nunc sunt Semitarum linguas. Sequitur ex eadem stirpe Afro-Asiatica ducta antiqua Ægyptiorum, et inde Coptorum lingua (pp. 160-217).

Semitarum autem linguæ, ut par est, variis singillatim enarrantur commentatiunculis : « Accadica » (Assyriorum videlicet et Babyloniorum lingua, veluti communi appellatione nuncupatur), pp. 218-287, cui adicitur lingua oppidi Ebla (in Syria) ; « Ugaritica » (oppidi scilicet Ugarit similiter in Syria, quæque ad occidentales Semitarum linguas transit), pp. 288-318 ; occidentales autem : Hebraica, pp. 319-364, Phœnicum sermo et Punicus, pp. 365-385, varii Canaanitici sermones, pp. 386-390, Aramaica, pp. 391-426, quæ totius orbis nostri, ante Græcorum sermonem, lingua aliquando facta est universalis et communis ; meridianæ : Æthiopum, pp. 427-453, Arabum tum meridianorum, pp. 454-487, cum septentrionalium, pp. 488-533.

Alia est provincia, quæ ad nos Europæos præsertim spectat, « Indo-Europæarum » videlicet (sive « Indogermanicarum »), quas vocant, linguarum. Quarum formæ communes et indicia generalia primum (pp. 534-550) adumbrantur.

Ante omnia, nam omnium antiquissimæ sunt (quoad fontes saltem), tractantur in Anatolia quæ vigerunt antiqua Hethæorum (pp. 551-575) et Luviorum (pp. 576-584) lingua, necnon Palaica (pp. 585-590), quæ tempore Hethæorum iam emortua in rebus tantum divinis adhibebatur, superiores ex Luvio orti sermones Lyciorum (pp. 591-600) et Cariorum (pp. 609-613), necnon lingua Lydiorum (pp. 601-608). Fuscæ porro Græcorum Attica (pp. 614-649) et aliæ tractantur dialecti (pp. 650-672) ; Indorum antiqua (pp. 673-699), quam Vedicam et Sanskriticam vocant, et media (pp. 700-716), quæ « Prakritica » innotuit lingua ; Persarum imperii sermo (pp. 717-741) et Avestæ (pp. 742-763), quibus adiectæ sunt recentiores sermonis formæ (« Pahlavi », pp. 764-776). Sequitur Phrygium sermo (pp. 777-788), qui, quamquam in Anatolia floruit, sui iuris est neque ad stirpem Anatolicam proprie pertinet ; Italicæ denique linguæ, Latina primum (pp. 789-811), Sabellorum deinde (pp. 812-839) et Venetorum sermones (pp. 840-856). Etiam Etrusca lingua<sup>5</sup> adest (pp. 943-966).

Neque Celtæ desunt qui continentem incoluerunt terram (pp. 857-880) et Germani, Gothos dico (pp. 881-906) et Nordicos, quos nunc vocamus, Germanos septentrionales videlicet, antiquos (pp. 907-921). Ad



Caucasum denique transitur : ad Armeniorum (pp. 922-942) et Hiberum<sup>6</sup> (pp. 967-987) priscos sermones.

In similem unaquæque fere enarratiuncula vel symbola redigitur formam : primum adiuncta historica et quæ ad cultum civilem spectant adumbrantur (« Historical and cultural contexts »), dein de scribendi ratione (« Writing system »), de sonis (« Phonology »), de verborum formis solutis (« Morphology »), et coniunctis vel de syntaxi (« Syntax »), de copia verborum (« Lexicon ») agitur ; accedit denique index librorum (« Reading list »).

Regia profecto hoc doctissimo libro via lectoribus est strata, quorum de mira linguarum in orbe antiquo varietate aliquid interest comperire, quorum, addo, propria interest humanitas. Etenim de linguis discere et utile est et iucundum, non in primis rerum grammaticarum causa (quamquam et res grammaticæ suas habent veneres), sed propterea quod non nisi variarum linguarum notitia et scientia, sive veterum sive novarum, ad humana commercia datur aditus, mundanus, id est veri nominis humanus, rei publicæ litterarum civis educatur nullis præiudicatis opinionibus, nulla cæca ignorantia, nulla odiosa surditate constrictus, et, si veteres sunt linguæ, per colloquium trans tempora species quædam conceditur æternitatis : aditum dicebam, ad aliorum hominum et populorum litteras et res gestas et artes et cogitata et desideria et mentem et animam, vel, ut uno complectar verbo, ad eorum humanitatem, qua quidem re humano reapse homini res utilior et iucundior non datur. ❀

1. Cambridge University Press, [2004], XX+1162 pp. ill., ISBN 0 521 56256 2. Venit hic liber centum et quinquaginta nummis Europæis. « Antiquæ » autem linguæ computantur quæ ante V fere sæculum post Christum natum floruerunt.
2. Prolegomenis variæ una tractantur linguæ quarum fontes adeo sunt exigui, ut quæ separatim enarrentur dignæ non esse videantur.
3. Lingua autem « Hattica », quæ in media Anatolia Hethæos antecedit, cuiusque tria fere milia verborum sunt litteris cuneatis tradita, mirum quod non separatim tractatur.
4. « Ergaticus » autem qui dicitur modus, a Semitarum et nostro (quibus – ut grammaticæ dicam – inter verborum temporalium « subiectum » et « obiectum » differentia est et sueta et nota) plane diversus, hic est, quo peculiari quadam nota verbi, sed transitivi tantum, subiectum distinguitur, dum intransitivi verbi subiectum et transitivi verbi obiectum eadem (sine nota) insigniuntur forma. Simplicius : non distinguitur (ut apud nos et in linguis Semiticis et nonnullis aliis linguarum stirpibus) casus nominativus a casu accusativo ; sed distinguitur casus « ergaticus » (pro subiecto verbi transitivi) a casu « anergaticus » (pro subiecto verbi intransitivi et obiecto verbi transitivi).
5. Quæ utrum ad « Indo-Europæorum » quam vocant pertineat stirpem controversum est.
6. Hiberum sermo ad stirpem Caucasiarum linguarum spectat, quarum omnium præbet exemplar antiquissimum. Quem autem heic vicinitatis causa Armeniorum linguæ adicimus.

IN PORTV NAVIGARE adagium 46

# SYMPOSIUM SALLENTINVM

– 24-31 m. Iulii a. 2005 –

Proxima æstate, diebus 24-31 m. Iulii, Melissa symposium Latinum in Apulia instituet. Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Sallentum autem, cum situm sit in infima orientali-que extremitate Italiæ, auras et Orientis et Occidentis alternatim accepit. Quare thema generale acroasium et disputationum, quod proponimus, est « De rationibus inter Occidentem et Orientem, a decimo sæculo usque ad duodevicesimum sæculum ».

## Pretium

- *inscriptionis* :
  - *adultis* : 50 eur.
  - *discipulis et studentibus* : 25 eur.
  - *pernoctationis* :
  - *cum ientaculo, prandio et cena* : 45 eur
  - *cum ientaculo et cena (sine prandio)* : 40 eur
- Conclavia sunt privatis commoditatibus instructa.*

Qui participare cupiunt nos certiores faciant.



---

## ALIÆ OCCASIONES LATINE LOQVENDI

### CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, a mensis Iulii die 29 usque ad 6 mensis Augusti.

¶ Prof. Terentius Tunberg : [clatot@pop.uky.edu](mailto:clatot@pop.uky.edu)

### FERIÆ LATINÆ

In abbata Sancti Michælis Ferigoletensis, a die 28 m. Iulii ad diem 4 m. Augusti.

¶ Maria Antonina Avich, 21 b, rue Sainte Anne de Baraban, F-069003 Lyon

### SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 24-30 m. Iulii.

¶ in Belgica in abbata Maretiolensi : 7-13 m. Augusti.

¶ Societas Latina, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken ([s.albert@mx.uni-saarland.de](mailto:s.albert@mx.uni-saarland.de))



# *In hoc fasciculo !*

- Europa et America* [G. Licoppe] p. 1  
*De Francisci Petrarca vita et scriptis Latinis* [V. Ciarrocchi] p. 2  
*Socolata, num sit salubris* [F. Deraedt] p. 4  
*Flosculi Erasmi (v)* [A. Vanautgaerden] p. 6  
*Quid est animal ?* [S. Jansson] p. 8  
*Experimenta et contemplationes* [A. a Leeuwenhoek] p. 11  
*De Bibliis Hebraicis controversia (IV)* [G. Licoppe] p. 12  
*De linguis antiquis* [W. Jenniges] p. 14  
*Symposium Sallentinum* p. 16
- 



## FASCICVLI MELISSÆ CONSPECTVS ANNI 2004

- 118 G. Licoppe, Circa hymnum Europæum  
I. Dobreff, De conventiculo rustico Americano  
N. Thiel, De itinere Europæo Ioannis Guilelmi (II)  
G. Licoppe, De miro per aera vehendi modo (IV)  
Th. Sacré, Documenta quædam academica  
A. Vanautgaerden, Cambosia (V)  
F. Deraedt, Iter Turcicum (II)
- 119 G. Licoppe, Quid velet velum  
A. Boudot-Lamotte, Quid senserit præpositus rebus Arabicis gerendis  
A. Vanautgaerden, Cambosia (VI)  
A. Vanautgaerden, Flosculi Erasmi (III)  
G. Licoppe, De miro per aera vehendi modo (V)  
F. Deraedt, Iter Turcicum (III)
- 120 G. Licoppe, De præhistoriæ cunabulis  
L. Willemarck, De normis generalibus iuris pœnalis in ecclesia (I)  
F. Deraedt, Iter Turcicum (IV)  
Th. Sacré, Documenta quædam academica  
G. Licoppe, De Bibliis Hebraicis controversia (I)
- 121 G. Licoppe, Symposii meditatio  
I. Ørberg, Lingua Latina per se explicata  
A. Vanautgaerden, Flosculi Erasmi (IV)  
L. Willemarck, De normis generalibus iuris pœnalis in ecclesia (II)  
G. Licoppe, De Bibliis Hebraicis controversia (II)  
P. Kangiser, Gigas, qui se ceteris anteponebat
- 122 G. Licoppe, Iam ante viginti annos...  
M. Minkova, T. Tunberg, De rationibus variis quibus homines  
verba Latina ætate litterarum renatarum enuntiabant  
T. Pekkanen, De poesi rhythmica  
Th. Sacré, Ignota atque inedita epistula ad Gasparem Barlæum poetam scripta  
G. Licoppe, De Bibliis Hebraicis controversia (III)
- 123 G. Licoppe, Europa et America  
V. Ciarrocchi, De Francisci Petrarca vita et scriptis Latinis  
F. Deraedt, Socolata, num sit salubris  
A. Vanautgaerden, Flosculi Erasmi (V)  
S. Jansson, Quid est animal ?  
A. a Leeuwenhoek, experimenta et contemplationes  
G. Licoppe, De Bibliis Hebraicis controversia (IV)  
W. Jenniges, De linguis antiquis